



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. X. Vtrum plenitudo gratiæ fuerit propria Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Resp. negando conseq. quia Christus ut dictum est, ita fuit beatus & comprehensor, ut simul esset victor dum in terris versaretur. Adde quod licet Prophetia in celo sint cessatura quoad actum predicandi futuram item quoad connotatum, ipsum tamen donum Prophetiae non euacuabitur, quia nullam in sua substantia intulit obscuritatem, & potest esse cum lumine scientiae infusae. Consimiliter ratione quamvis usus variarum linguarum non sit in celo futurus necessarius; ipsa tamen cognitio non euacuabitur.

ARTICVLVS IX.

Virum in Christo fuerit plenitudo gratiae?

RESPONDET gratiam Christi fuisse summam tam intensiue, quam extensiue: id est fuisse perfectissimam iuxta diuinam dispositionem & mensuram, quā Deus decreuit eam alicui communicare; habuisse etiam omnes gratiae operationes & effectus.

Prior pars patet ex eo quod anima Christi fuerit perfectissime vnita ipsi fonti gratiae; ergo decuit illam habere gratiam perfectissimam & intensissimam. 2. gratia à Christo in alios deriuabatur, igitur decuit ut illam haberet in summo gradu, quem Deus decreuit concedere. 2. pars etiam patet eo quod Christus sit vniuersale principium gratiarum, igitur eius gratia debebat se extendere ad omnes gratias. Obiter

Aduerte ex dictis, quod præter plenitudinem gratiae creatae fuerit in Christo plenitudo diuinitatis, per quam eius anima fuit singulariter sanctificata, ut dictum est.

ARTICVLVS X.

Virum plenitudo gratiae fuerit propria Christo?

RESPONDET plenitudinem gratiae absolute soli Christo conuenire, quamvis aliqui sancti dicantur pleni gratia.

Notandum 1. plenitudinem gratiae varijs modis in scriptura quibusdam personis tribui. Nam aliqui dicuntur pleni gratia, quia habent excellentem gratiam congruam ministerio seu officio ad quod sunt electi. Quia ratione B. Virgo, S. Ioannes Baptista, Apostoli, S. Stephanus dicuntur pleni gratia vnusquisque iuxta proportionem sui ministerij. Alij dicuntur pleni gratia, quia habent gratiam abundantem ad vitam æternam consequendam. quia ratione Apostolus ad Ephes. 3. precatur ut Ephesij implerentur in omnem plenitudinem Dei.

Anima verò Christi duobus modis potest specialiter dici plena gratia. Primo quia fuit vnita diuinitati, quā gratia non potest maior obtingere creaturae. Secundo quoad gratias creatas; habuit enim supremum gradum gratiae, quem Deus decreuit communicare creaturae, vnde habuit summam gratiam intensiue. Præterea habuit omnes effectus gratiae & operationes, siue omnē gratiam extensiue. Tertiò gratia in eo erat tanquam in capite & fonte seu principio à quo debebat in genus humanum dimanare. Vnde sit verisimile Christum dominum non solum singulos, sed etiam omnes in

vnū collectos superasse quoad gratiam etiam creatam, ita ut ipse solus habuerit excellentiorem gratiam quā omnes creature intellectuales simul sumptae. Erat enim vnigenitus Dei Filius, quā dignitas, cum longè superet dignitatem omnium creaturarum, fuit congruum ut eius animae concederetur gratia maxima, iuxta mensuram à Deo statutam.

Conf. 1. Christi humanitas fuit Deo charior quā tota vniuersitas creaturarum simul sumpta. Ergo decuit illam ornari donis excellentioribus quā concessa sint vniuersitati creaturarum simul sumptarum.

Conf. 2. Christus quā homo est principium omnium gratiarum in hominibus, est etiam caput Angelorum; ergo decuit illam habere ampliorem gratiam quā omnes simul habeant.

Notandum, 2. hanc gratiae plenitudinem concessam animae Christi ab initio conceptionis, cum illa dona deberentur ratione vnionis hypostaticae tanquam morales proprietates.

ARTICVLVS XI.

Virum Christi gratia sit infinita?

RESPONDET 1. gratiam vnionis esse infinitam, eo quod ipsa persona Verbi sit infinita.

Notandum, si D. Th. gratiam vnionis sumat pro persona Verbi, certum esse eam esse infinitam; si verò sumat pro modo vnionis, de quo egimus supra q. 2. eam non nisi terminatiue esse infinitam, cum modus vnionis non sit aliter dicendus infinitus, quā quod intimè respiciat terminum infinitum.

Respondet 2. gratiam habitualement in genere entis esse finitam, cum sit in anima Christi, quae est creatura habens capacitatem finitam. Quae ratio non nihil est difficilis, cum gratia non necessario debeat proportionari capacitati naturali animae, sed tanquam ordinis supernaturalis respiciatur ab anima secundum potentiam obedientialem, quae non habet terminum; nam potentia obedientialis animae respicit omne id quod non repugnat in ea constitui. Igitur nisi supponatur non posse dari gratiam infinitam, ex capacitate animae non videtur ita commodè concludi quod gratia habitus animae Christi sit finita in ratione entis.

Respondet 3. gratiam in ratione gratiae posse dici infinitam: quia non limitatur, sed habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae. In qua conclusione S. Doctor agit etiam de gratia habituali, vnde clare patet ex textu. quia verò non ita videtur clarum quo sensu vera sit hæc conclusio, varij varient mentem S. Thomae interpretantur.

Quidam enim Thomistae dicunt gratiam Christi esse infinitam in genere physico gratiae, seu gratiam in Christo fuisse physice infinitam.

Sed nisi sit æquiuocatio, vel questio de nomine, id non est solidum, quia gratiam esse physice infinitam, est esse infinitam in sua entitate physica, & per consequens in genere entis, quod negat S. Th. Cōseq. prob. ratio gratiae & entis in entitate physica gratiae solum distinguuntur ratione: si ergo vnū sit finitum, necesse est alterum quoque esse finitum. Præterea S. Th. 1. parte q. 7. negat omne genus infiniti in creaturis; igitur non potest hic censere gratiam in genere physico gratiae esse infinitam.

Christi humanitas fuit Deo charior quā tota vniuersitas creaturarum.

Resp. 1.

88. Quo sensu gratia vnionis sit infinita.

Resp. 2.

Ratio D. Thom. apparet difficilis.

Resp. 3.

89.

Varie sententiae de mente S. Thom.

Gratia Christi non est physice infinita.